

**XVII**  
**IN CANIDIAM**  
*Iambicus*

HORATIVS

‘Iam iam efficcācī dō manūs scientiae,  
 Supplex, et ōrō rēgna per Proserpinae,  
 Per et Diānae nōn movenda nūmina,  
 Per atque librōs carminum valentium  
 Refixa caelō dēvocāre sīdera,  
 Cānidia, parce vōcibus tandem sacrīs,  
 Citumque retrō solve, solve turbinem.  
 Mōvit nepōtem Tēlephus Nērēium,  
 In quem superbus ōrdinārat agmina  
 Mūsōrum, et in quem tēla acūta torserat.  
 Ūnxēre matrēs Īliae addictum ferīs  
 Ālitibus atque canibus homicīdam Hectorem,  
 Postquam relictīs moenibus rēx prōcidit  
 (Heu !) pervicācis ad pedēs Achilleī.  
 Saetōsa dūrīs exuēre pellibus  
 Labōriōsī rēmigēs Vlīxē,  
 Volente Circā, membra ; tunc mēns, et sonus  
 Relāpsus, atque nōtus in vultūs honor.  
 Dedī satis superque poenārum tībī,  
 Amāta nautīs multum et īnstitōribus.  
 Fūgit iuventās, et verēcundus color  
 Relīquit ossa pelle amicta lūridā ;  
 Tuīs capillus albus est odōribus ;  
 Nūllum ab labōre mē reclīnat ōtium :  
 Vrget diem nox, et diēs noctem ; neque est  
 Levāre tenta spīritū praecordia.  
 Ergō negātum vincor ut crēdam miser :  
 Sabella pectus increpāre carmina,  
 Caputque Mārsā dissilīre nēniā.  
 Quid amplius vīs ? Ō mare et terra ! Ardeō,  
 Quantum neque ātrō dēlibūtus Herculēs  
 Nessī cruōre, nec Sicāna fervidā  
 Virēns in Aetnā flamma. Tū, dōnec cinis  
 Iniūriōsīs āridus ventīs ferar,  
 Calēs venēnīs officīna Colchicīs.  
 Quae fīnis ? Aut quod mē manet stīpendium ?  
 Effāre ; iussās cum fidē poenās luam,  
 Parātus expiāre, seu poposceris  
 Centum iuencōs, sīve mendācī lyrā  
 Volēs sonārī : “Tū pudīca, tū proba  
 Perambulābis astra sīdus aureum.”

Īnfāmis Helenae Castor offēnsus vice,  
 Frāterque magnī Castoris, victī prece,  
 Adempta vātī reddidēre lūmina.  
 Et tū (potes nam) solve mē dēmentīā,  
 Ō nec paternīs obsolēta sordibus,  
 Neque in sepulcrīs pauperum prūdēns anus  
 Novendiālēs dissipāre pulverēs.  
 Tibi hospitāle pectus, et pūrae manūs ;  
 Tuusque venter Pactumēus ; et tuō  
 Cruōre rubrōs obstetrīx pannōs lavit,  
 Vtcumque fortis exsilīs puerpera.’

CANIDIA

‘Quid obserātīs auribus fundis precēs ?  
 Nōn saxa nūdīs surdiōra nāvitīs  
 Neptūnus altō tundit hībernus salō.  
 Inultus ut tū rīseris Cotyttia  
 Vulgāta, sacrum līberī Cupīdinis ?  
 Et Esquilīnī pontifex venēficī  
 Impūne ut Urbem nōmine implēris meō ?  
 Quid prōderit dītasse Paelīgnās anūs,  
 Vēlōciusve miscuisse toxicum ?  
 Sed tardiōra fāta tē vōtīs manent.  
 Ingrāta miserō vīta dūcenda est, in hoc,  
 Novīs ut ūsque suppetās labōribus.  
 Optat quiētem Pelopis īnfīdī pater,  
 Egēns benīgnae Tantalus semper dapīs ;  
 Optat Promētheus obligātus ālitī ;  
 Optat suprēmō collocāre Sīsypus  
 In monte saxum ; sed vetant lēgēs Iovis.  
 Volēs modo altīs dēsīlīre turribus,  
 Modo ēnse pectus Nōricō reclūdere ;  
 Frūstrāque vincla gutturī nectēs tuō,  
 Fastīdiōsā trīstis aegrimōniā.  
 Vectābor umerīs tunc ego inimicīs eques ;  
 Meaeque terra cēdet īnsolentiae.  
 An, quae movēre cēreās imāginēs,  
 Vt ipse nōstī cūrīosus, et polō  
 Dēripere lūnam vōcibus possim meīs,  
 Possim cremātōs excitāre mortuōs,  
 Dēsīderīque temperāre pōcula :  
 Plōrem artis in tē nīl agentis exitūs ?’